



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. LII. Lucri Ex Pecuniis Alienis. Benigna Decisio pro eo, qui Domini sui Pecunias elocavit ad Census, quos sibi appropriat tanguam Fructus industriales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

Resolutio presentis Casus.

17. DICENDUM ergo, Fructus ultimi anni, quo mors Othmari contigit, inter hujus relictam Viduam, & Eugenium in Fideicommissio Successorem pro rata temporis dividendos, prout patet ex Resolutione *Questionis prima*, idque maxime procedit de Censibus, & Pensionibus illius anni, de quibus hic precipue quaeritur, ut liquet ex dictis *Num. 13.* nam, ut *Num. 14.* ostensum est, quod attinet ad Fructus Naturales, percepti solum ad pristinum Possessorem, ejusque Haereses de Jure Communi pertinent,

Pendentes autem soli Successori cedunt, nisi, ut *Num. 13. cit.* dictum est, alicubi etiam illi pro Rata temporis dividantur; tunc enim eadem quoad hoc erit Ratio Civilium, & Naturalium Fructuum. Tempus autem, ex quo divisio pro Rata fieri debet, juxta dicta *ad Quast. 3.* desumi debet ab initio, seu Calendis Anni ultimi: consequenter cum in presenti Casu Othmarus supervixerit usque ad initium Mensis Septembris, istius Haereditariae Viduae de Censibus, & Pensionibus Anni ultimi pro Rata duae tertiae, Eugenio autem una assignanda esse videtur.


CONSILIIUM LII.

In Causa Pecuniarum Dominicalium, ab Officiali elocatarum pro Censu annuo.

SUMMARIUM.

- 1. seqq. Facti Species.
- 6. seqq. Rationes, ex quibus videtur dari Obligatio restituendi Lucrum ex elocatis Pecuniis perceptum.
- 11. Fructus rei rem, & Fructus industriae industriam sequitur.
- 12. Etiam si Possessor sit mala fidei.
- 13. seqq. Exempla eorum, qui ex usu rei alienae Licentiam capunt.
- 17. seqq. Applicatur ad presentem Casum.
- 20. Officialis tenetur Domini utilitatem promovere, non tamen ultra ejus desiderium.
- 21. Deposita Pecunia non obnoxata transit in Mutuum.
- 22. Actus supererogatorius in consequentiam trahi non potest.
- 23. Lucrum ex usu Pecunia perceptum, non est Fructus Pecunia, sed industria.
- 24. Fructus, quos Dominus Rei percepturus non fuisset, non tenetur mala fidei Possessor restituere in Foro interno.
- 25. 26. Lucrum ex Pecunia aliena pertinet ad Possessorem, etiam ignorante Domino.
- 27. Ut Custos Aerarii Pecunias Domini sui pro Censu annuo elocare possit, multa requiruntur.
- 28. In Casu presenti Elocatio videtur licite facta.
- 29. 30. Fructus parsimoniales licite percipiuntur.

FACTI SPECIES.

I.  Alavianus, Officialis Juramenti fide obligatus Domino suo, ab hoc ante aliquot annos certorum negotiorum causa missus fuit ad Aulam Regiam, cum Mandato, ut ea Negotia procuraret pro viribus, & illis, qui ad obtinendum optatum exitum eorum, vel Patrocinium, vel Operam suam locaverint, liberalia promittat Honoraria, tum solvenda, quando Decisio in favorem sui Principalis secuta fuerit. Impigro suo labore Salvianus Negotia ista eo promovit, ut spes certa alluceret, brevi secuturum optatum istorum eventum. Hinc ille, ne in Pecuniis, pro Honorariis hujusmodi expendendis, mora fieret ab ejus Principali, & non sine prostitutione tum hujus, tum sua, Sententia favorabili obtenta, promissa implere non posset, ab isto per Literas petiit sibi mitti certam Pecuniae Summam,

tum in dicta Honoraria, tum in Sustainationem suae ipsius Personae expendendam: quam etiam absque mora obtinuit. Cum vero tum adhuc penderent Negotia, Salvianus ex acceptis a Principali suo Pecuniis ter mille florenos, utpote eatenus adhuc otiosos, in loco Negotiationis, ubi annuatim 5. pro 100. Usurarum permissionum nomine pendi solent, & quovis tempore ipsa Summa Capitalis haberi potest, interea elocavit pro Censu annuo: de quo etiam per Literas edocuit Principalem suum, qui factum hoc Officialis sui pro rato habuit. Usuras, sibi interea solutas, Salvianus rite in Rationes suas retulit, quas Rationes etiam, cum post anni unius lapsum reddidisset ad Dominum suum, huic reddidit, ubi inventum est, eidem Salviano 3000. florestare in Residuo, quae ad Dominum ejus pertinerent; quia vero haec Summa ea ipsa fuit, quam ipse, approbante Domino suo, elocavit pro Censu annuo, ab hoc Rationes illius fuerunt ratificatae, subscriptaeque.

3. Paulò post redditas ita Rationes Salvianus ad finiendâ memorata Negotia, quæ adhuc ex parte pendebant, à Domino suo ad Aulam prædictam missus est, ubi cum dicta Negotia iterum felicem, eamque in brevi obtinendam Resolutionem promitterent, idem Salvianus, ut, secuto effectu, in tempore Remuneraciones sibi injunctas bene meritis præstare posset, rursum Subsidium pecuniarium petit à suo Domino, qui etiam aliquot millia Florenorum eidem successivè ex Ærario suo submisit. Etiam hanc Pecuniam Salvianus in dicto Negotiationis loco elocavit pro Censu annuo, quem etiam ritè sibi solutum accepit; ex Capitali autem Summam pro sua Sustainatione, quam pro Honorariis post acceptam favorabilem Resolutionem Cause, quantum opus erat, successivè expendit. Quia verò in quodam gravi Negotio pro Principali ejus pronuntiatum quidem est, Executio tamen hujus Sententiæ ob certa impedimenta, quæ interea occurrerunt, differri ad tempus aliquod debuit, Salvianus, ne contra Domini sui voluntatem, qui Solutionem Honorariorum non aliter, quam, secuto effectu, fieri voluit, ipse ageret, Summam 2075. fl. in Remunerationem, certo loco promissam, usque ad Executionem secutam retinuit.

4. Post duos, vel tres annos Salvianus revocatur domum, ubi post quadrantem anni ductas super Legationis suæ Expenfis Rationes Domino suo reddidit. In his memoratos 2075. fl. in Expenfas quidem retulit, monuit tamen Dominum suum oretenus, se hanc Summam, cum nesciret quo tempore illa juxta promissionem à se factam solvenda esset, in loco Legationis suæ reliquisse. De Censibus interea à se acceptis, qui ex Summa prædicta fluxerunt, uti & de 3000. fl. quæ in primis suis Rationibus in acceptum retulit, in his secundis Rationibus omnino abstrixit. Sed neque Principalis ejusdem, quamvis scire ex Rationibus primis potuerit, hæc tria millia in Censum elocata fuisse, aliquid petiit, sed easdem Rationes post anni lapsum plenariè approbavit, & subscripsit.

5. Insuper Salviano idem ejusdem Principalis concessit, ut pro Negotiorum celeriori expeditione Rheda conductâ, pro cujus Expenfis in singulos dies 2. fl. solvere oportebat, uti, simulque Scribæ, cui certum Salarium annuum assignatum fuit, operam adhibere ipsi liceret. Rheda sibi permissâ non fuit usus, nisi semel, vel ad Summum bis in hebdomade: hinc convenit cum Rhedatio, ut pro iis diebus, quibus ejus operâ usus non esset, permetteret sibi detrahi Mercedem his diebus respondentem, quam Salvianus sibi retinuit. Similiter paucissimo Negotiationis suæ tempore adhibuit operam conducti Scribæ, sed, quæ scribenda erant, per alium sibi proximè Agnatum, vel per unum ex famulitio suo delcribi fecit: totam

tamen Mercedem tum pro Rheda, tum pro Scriba, acsi revera eam expendisset, in Rationes, à Domino suo potrectas, retulit. Hac Specie Facti posita,

QUÆRITUR I.

An Salvianus teneatur Domino suo refundere Census, ex Pecunia Dominicali, à se elocata, perceptos?

Rationes, quæ Obligationem restituendi Census, ex Pecunia Dominicali perceptos, suadere videntur, sunt 1. Quia Salvianus est Officialis Juramenti fide obligatus Domino suo ad hujus utilitatem procurandam, & avertenda damna: consequenter obligatus etiam fuit ad has Pecunias, utpote futuras aliquo tempore otiosas, hac tam opportuna occasione in utilitatem Domini sui elocandas pro Censu annuo. Dum ergo illas elocavit in utilitatem propriam, & Census inde solutos sibi retinuit, non bene observavit Juramentum suum, & sic eos tenebitur reddere suo Domino: præsertim, quia

6. Rationes dubitandi

2. Pecuniæ istæ, quas Salvianus elocavit pro Censu annuo, fuerunt, & postquam traditæ illi sunt, adhuc erant propriæ Domini sui: ut adeò etiam Census, ex iis elocatis accepti, ad eundem Dominum pertinuisse censendi sint, ex vulgato Juris Principio, quòd res quævis fructificet Domino suo. Neque in hoc, dum eosdem Census sibi vendicavit Salvianus, videtur bonâ fide egisse; nam

7.

3. Ipsemet agnovit Obligationem eos deberi Domino suo; quia, ut ex Facti Specie Num. 2, constat, Census de 3000. fl. sibi solutos in primas suas Rationes retulit: quòd non fecisset, nisi credidisset, se ad hos Census nullum habere Jus. Igitur, dum eadem 3000. perstiterunt post primas Rationes datas in Banco pro Censu annuo, etiam hos Census, quos consequenter accepit, debuisset referre in Rationes secundas pro suo Principali; & dum eosdem sibi retinuit, non bona fide id egisse censendus est. Proinde

8.

4. Dum Salvianus pecuniâ Dominicali in ordine ad Fructus ex ea percipiendos, ut suâ usus est, habebitur pro Malæ fidei Possessore: consequenter, sicut Malæ fidei Possessor, si torquem aureum alienum elocet alteri, Locationis Conductionis Mercedem restituere tenetur Domino torquis,

9.

ut contra Navar. c. 17. n. 25. & Lud. Lop. p. 1. Inst. Consc. c. 101. in fin. Melius docent Rodriq. p. 2. Summ. c. 42. concl. 6. Molin. tract. 2. de J. & J. D. 719. n. 5. Rebell. p. 1. lib. 2. q. 5. Less. l. 2. de Just. c. 12. dub. 14. n. 114. Sanch. lib. 2. moral. c. 13. n. 132. Laym. lib. 3. sect. 5. tract. 2. c. 3.

n. 6. Palao *tract.* 31. *D. un.* p. 24. §. 10.

n. 4.

Ita etiam Salvianus restituere tenebitur Cens-
sus, ex pecunia Dominicali à se perceptos.
Neque obstat, quod ipse Principalis has sur-
as Pecunias nec elocaverit, nec iusserit ulteri-
us elocari pro Censu annuo. Nam

10.

5. Idem Principalis saltem potuisset eas
Pecunias interea, dum tempus illas elargi-
endi veniret, elocare pro Censu. Est autem
Regula communiter recepta, quod, ut Spo-
liator, ita quivis malæ fidei Possessor (qua-
lis secundum dicta videtur esse Salvianus)
restituere teneatur Fructus omnes, sive ex-
tantes, sive consumptos, sive perceptos, si-
ve percipiendos, quos percipere potuisset
rei Dominus, si ejusdem Possessione non
fuisset exutus,

prout patet ex *l. prator air. 1. §. qui vi. 31.*

& *§. quod autem. 33. ff. de vi. & vi armat.*

l. fructus. 33. princ. l. si navis. 62. §. generaliter. 1. ff. l. domum. 5. & l. certum. 22. C. de

R. V.

Verum his non obstantibus,

II.
Rationes
decidendi.

CENSEO, Salvianum absolvendum esse
ab Onere restituendi Censu, quos ipse ex
Pecunia Dominicali elocata accepit. Ratio
est, quia Censu, qui percipiuntur ratione
Pecuniæ pro Censu elocata, cum ipsa per
se non fructificet, accensentur Fructibus Ci-
vilibus merè Industrialibus. Fructus autem
merè Industriales, occasione Rei alienæ per-
ceptos, quivis Possessor suos facit, eosque
retinere potest, etiam detecto vitio Posses-
sionis, quippe cum non sint Fructus Rei in
se, sed prout subunt industriæ hominum,
adeoque ei, cujus industriam proveniunt, ac-
quiruntur de Jure Naturali; Jure autem
positivo nulla Lex Restitutionem eorum im-
perat.

Molin. tract. 2. de f. & f. D. 719. n. 4.

Barbof. in c. gravis. 11. de Restit. Spoliar.

n. 9. Pirhing. ad dict. cit. n. 36. Sannig.

ibid. c. 5. n. 4.

Idque verum est, ut ne quidem extantes, &
quantum inde locupletior est factus Possessor,
restituere compellatur, ut cum aliis notat

Haunold. tom. 1. de f. & f. tract. 3. n. 264.

ubi Rationem dat, quia, sicut Fructus rei
rem, ita Fructus Industriæ industriam se-
quitur.

12.

Neque in hoc discrimen faciendum est
inter Possessorem bonæ, & malæ fidei; nam
etiam malæ fidei Possessor Fructus merè In-
dustriales, seu qui ab industria humana pro-
cedunt, sibi comparat, nullà illos restituendi
obligatione contractâ; sed sufficit, si iste
restituatur rem alienam, occasione cujus hu-
jusmodi Fructus collegit, simulque com-
penset damnum ex carentia istius Domino
emergens, & Lucrum propterea eidem ces-
sans.

Ita cum *S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 3.*

Sot. in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. Palud. ibid.

art. 5. Navar. c. 7. n. 25. Covar. l. 1.

var. c. 3. & in Reg. peccatum. p. 2. §. 6. n. 4.

& aliis docent Molin. tract. 2. cir. D.

327. & D. 719. cum seq. Less. lib. 2.

cit. c. 12. n. 113. & c. 14. n. 8. Rebell.

lib. 2. de Just. q. 4. n. 6. Laym. lib. 3. sect.

5. tract. 2. c. 3. n. 3. Palao tract. 31. p. 24.

§. 7. n. 7. Haunold. tom. 1. de f. & f. tract.

3. n. 264. Ininger. de Restit. q. 2. art. 4.

§. 2. fol. 29. Glette p. 2. Pandet. q. 19.

n. 9. Babenstuber tract. de f. & f. c. 3.

§. 2. n. 11. & seqq. Clarissim. P. Schneider

lib. 3. tract. 2. c. 6. n. 94.

Et urget eadem Ratio, scilicet, quia Fru-
ctus merè Industriales non percipiuntur ex
re, sed occasione rei ex industria Possesso-
ris: atque adeo non Domino rei, sed indu-
striam adhibenti debentur. Neque ab hac
certa TT. Sententia discrepant Juristæ; quia
dum Fructus etiam Industriales restituendos
volunt, loquuntur de Fructibus Industrialibus
non merè talibus, sed iis, quos TT.
mixtos vocant, qui utique restitui debent.

Exempla hujus rei passim sunt obvia: sic

enim 1. Qui alieno calamo pretiosam Scri-

pturam, alieno penicillo raram quandam

Picturam, aut alio alieno Instrumento in-
igne Artefactum elaboravit, suam facit Scri-

pturam, Picturam, & Artefactum: nec

quisquam Judex tolerare hoc Casu debet

eum, qui non solum calamum, penicillum,

instrumentum, sed etiam Scripturam, Pictu-

ram, Artefactum repeteret, sibi que adjudi-

cari vellet, quas, vel quod alter ipsius ca-

lamo, penicillo, vel instrumento confecit.

Sufficiet ergo, si ille calamum, vel instru-

mentum alienum restituat, & insuper in

Casu, quo malæ fidei iis est usus (quod per

accidens se habet) valorem usus, aut dam-

num Domino emergens, aut Lucrum ces-

sans eidem compenset, retento opere, quod

per talia Instrumenta confecit.

Haun. n. 264. cit.

Artefactum enim ejusmodi non oritur prin-

cipaliter ex Instrumento, quod ad illud

conficiendum adhibitum est, sed ex indu-

striam, & peritiâ ejus, qui illud confecit.

Similiter

2. Si Depositarius cum Pecunia, quam

apud se depositam habet, negotietur, &

Lucrum faciat, ille sit Dominus Lucri, ex

eadem ratione; quia sicut Artefactum non

oritur ex Instrumento, sed ex industria illo

utentis, ita nec Lucrum negotiationis ex Pe-

cunia huic exposita, sed ex industria eam

exponentis pro Negotiatione. Idque per-

inde est, sive Lucrum hoc consistat in Pecu-

nia, quam Depositarius cum ea, que apud

ipsum deposita erat, lucrificet, sive in ali-

is rebus, etiam Possessionibus, quas ex ea

sibi comparavit, ut patet

ex *l. si ea pecunia. 6. C. de R. V.*

ubi Gordianus Imp. *Si ea pecunia, inquit,*

quam deposueras, is, apud quem collocata su-

erat, sibi Possessiones comparavit, ipsique tra-

ditæ sunt, tibi vel omnes tradi, vel quasdam

ex

ex his Compensationis causâ ab invito eo in te
transferrî, injuriosum est: consequenter tali-
um Possessionum, ita comparatarum Pecun-
niâ alienâ, Depositarius efficitur Dominus,
neque in Compensationem Pecuniâ in talein
usum acceptæ illas Possessiones dare Domi-
no Pecuniâ debet, sed satis est, si illi solvat
suam Pecuniam, & insuper damna eidem
reficiat, quæ fortè ipsi deponenti ex usur-
patione Pecuniâ, contra ejus voluntatè
factâ, sunt sublecuta. Consentit

*L. si Pecunia. l. C. si quis alteri; vel si-
bi &c.*

ubi statuitur, si Uxor ex Pecunia Viri de-
functi, quæ ad Filium pertinebat, sibi, vel
non Filio aliquid emit, matrem comparare
Dominium rei sic emptæ, Filiumque solùm
agere posse adversus Matrem, ut sibi ista Pec-
uniam restituat. Item

L. qui alienâ. 8. C. eod.

ubi Impp. Qui alienâ Pecuniâ comparat, non
ei, cujus nummi fuerunt, sed sibi tam actio-
nem empti, quam Dominium, si ea tradita
fuerit Possesso, quarit. Quod ipsum con-
firmant aliâ Jura allegata per Gloss. ad l. cit.

15. 3. Hoc ipsum procedit in Uturario, si
negotiando Rebus usu consumptibilibus, usur-
rariè acquisitis, aliquid ulterius lucratus est;
nam & ipse hujus Lucri Dominium sibi com-
parat, nec tenetur illud restituere, sed satis-
facit, si Mutuatario restituat id, quod per
Usuram ab eo accepit, simulque Damnum,
ex eo, quod res Uturariæ non fuerint illi
restitutæ, eidem emergens compenset.

In Ita. S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 3. Angel.

V. Usura. l. n. 1. 5. Sylv. V. eod. 6. q. 2.

Gabri. in 4. dist. 15. q. 11. art. 2. concl. 6.

Major. ibid. q. 38. Almain. q. 2. Sot.

l. 6. de Just. q. 1. art. 4. concl. 2. Joan. Me-

di. de reb. per. Usur. acquis. q. 4. ad 4. in

prin. Adriana. de Restit. in mater. de U-

sur. Resp. ad 3. Covar. l. 3. var. c. 3. n. 6.

Molin. tract. 2. cit. D. 327. n. 5.

Ratio est, quia hujusmodi res non sunt in se
fructiferæ, sed solùm ut subsunt industriæ
Negotiantis, atque adeò, quod eis negoti-
ando acquiritur, est Fructus Industriæ, &
sic pertinet ad Negotiantem, ad quem etiam
spectat illarum periculum.

16. 4. Idem etiam est in fure, qui negotiando
re furtivâ aliquid lucratur, ut affirmant
Sot. Medin. Major. Molin. l. cit. per l.

qui vas. 48. §. fin. ff. de furt.

juxta quam, si fur rem, quam furto abstu-

lit, e. g. equum vendat, pretium ad furem

pertinet, & non ad Dominum equi, fûrque

Dominium pretii soluti comparat, eaque

de causa, si Dominus equi à fure vi auferat

pretium, committit furtum, aut rapinam.

Ratio est, quia Contractus, quo venditur,

permutatur, aut alio modo res aliena distra-

hitur, validus est,

ut constat ex *l. rem alienam. 28. ff. de con-*

trab. empr.

tametsi Venditor per ejusmodi Venditionem

non transferat Dominium rei venditæ in Em-
ptorem.

L. ex empto 11. ff. de Act. Empt.

Cùm enim ipse non esset Dominus rei illius,
etiam Dominium ejus, invito verò Domi-
nò, transferre in Emptorem non potuit.
Perseverat proinde istud apud antiquum Do-
minum, qui, ubicunque rem illam repererit,
poterit eam vindicare, &, quicunque
eam habuerit, tenebitur illam ipsi tradere:
quo casu Emptori, à quo vindicata est res
furtiva, ab ipso emptæ, competit quidem
Actio personalis adversus furem, ut sibi rem
evictam persolvat, & Damna omnia, eâ de
causâ secuta, compenset; non verò com-
petet ei Actio Realis ad repetendum preti-
um; quod fur pro re furtiva vendita accep-
pit; nam hujus Dominium fur acquisivit,
ut & rei, si quam pro pretio isto emit: ut
adeò nec istud, nec res ex eo emptæ obliga-
ta sit pro re furtiva vendita, quæ Domino
suo restituenda venit.

Ex his pro Salviano sequens ducitur Ar-
gumentum. Censur, quos ille percepit ex
Pecunia Dominicali, juxta dicta Num. 11.
reputantur inter Fructus merè Industriales.

Fructus autem merè Industriales ad eum per-
tinent, cujus industriâ quæsitæ sunt juxta cit.

Num. Nec interest, an ille sit bonæ, vel
malæ fidei Possessor, ut patet ex Num. 12.

& ostensum est per Exempla utentis alieno
Instrumento, Depositarii negotiantis Pec-
uniâ apud se depositâ, Usurarii Lucrum

facientis ex re usu consumptibili, per Usura-
rium Contractum acquisitâ, furis ex Pretio

rei à se furto sublata ementis rem aliam mo-
bilem, vel immobilem &c. juxta Num. 13.

& tres sequentes. Ergo etiam ad Salvianum

de Jure pertinent Censur, percepti ex Pec-
unia Dominicali à se elocata, præsertim, cùm

meritò dici possit, quòd Elocationem fece-
rit bona fide, Jure scilicet eidem, factoque

huic illius assistente; cùm enim tempus ex-
pendendi Pecunias istas in Honoraria, pro

quibus destinabantur, nondum advenerit, il-
li interea censentur datæ in Depositum, &

quidem Irregulare, quippe non obsignata:
ut adeò hic locum videatur habere commu-
nis Doctrina, juxta quam, si Pecunia non

obsignata alicui datur in custodiam, Deposita-
rio tacita censetur data licentia utendi Pec-
uniâ illâ, si velit,

L. Lucius. 24. l. Publica. 26. §. l. si sacculum,

29. ff. de posit. l. certi. 9. §. fin. & l. seq. ff. de

reb. credit. Schambog. ad §. praterea.

3. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. P. Kö-

nig ad tit. de Deposit. n. 7. in fin. P.

Schmier Jurispr. Can. Civil. lib. 3. tract. 3.

lib. 1. c. 3. n. 99.

nam tale Depositum transit in mutuum, quan-
do est res fungibilis. Mutui autem ea natu-
ra est, ut sufficiat, si Mutuanti reddatur

tantum, quantum acceptum est: nec ex eo
debentur Usuræ, nisi quando Mutuatarius
est in mora, & ex hac Mutuanti cesset
Lucrum,

Lucrum, quod ipse facturus fuisset, aut emergat Damnum, quod abfuisset, si res deposita in tempore fuisset restituta.

18.

In Casu presenti Salvianus nullam commisit moram; nam Pecuniam sibi commissam expendit in Honoraria eo ipso tempore, quo Principalis ipsius voluit: Neque iste propterea, quod Salvianus Usuras sibi retinuerit, conqueri potest de Lucro sibi cessante, aut Damno emergente ex elocatione à Salviano facta; nam si iste Pecunias sibi traditas non elocasset, apud ipsum jacuissent omnino otiosæ absque ullo commodo, & Lucro. Accedit, quia, postquam illas elocavit Salvianus, etiam periculum in se suscepit, si illæ furto, incendio, vel alio fortuito casu apud Nummularium perissent, quod facile fieri poterat; nam tunc tantumdem restituere debuisset ex suo; igitur etiam Lucrum ex iis elocatis debebat sentire, cum tratatitium, sit commoda cuiusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda,

19.

Deinde Salvianus utrasque Rationes post secundum suum in Patriam reditum, scilicet tam primas, quas reddidit, ubi primò ad Dominum suum rediit, quam secundas, & novissimas, Principali suo exhibuit, ex quibus iste facile videre potuit, quod Salvianus Censum, qui fluxerunt ad primi sui reditus tempora ex Summa Capitali 3000. fl. pro accepto retulerit in suas Rationes primas, in secundis autem de fluentibus ab illo tempore omnino abstraxerit. Cum ergo hoc videns Principalis, de his Censibus non petierit à Salviano Rationes, neque illos exegerit, meritò præsumere Salvianus potuit, quod Dominus ejus ob ipsius merita, & locatam in Negotiis sibi commissis adeò fructuosam operam non adeò rigorosè cum illo voluerit agere, cum tacens consentire videatur

juxta *Reg. qui tacet. 44. in 6.*

Adeoque per hoc, quod Salvianus hos Censum non ampliùs in Rationes suas retulerit, Principali suo non fecit injuriam, cum scienti, & consentienti non fiat injuria: imò juxta dicta à *Num. 11.* Principalis nullum habuit Jus à Salviano exigendi hos Censum, quippe quos lucratus fuisset Salvianus tanquam Fructus mere Industriales, etiam si istos percepisset mala fide: ut adeò potiùs Principalis Censum hos exigens Salviano, quam iste illos retinendo Principali suo intulisset injuriam.

20.

Responsio
ad Ar-
gumenta
opposita.

Ad 1. Verum est quidem, quod Officialis commoda, & utilitatem Principalis, aut Domini sui promovere teneatur; sed hoc non est intelligendum ultra hujus desiderium, sed sufficit, si in Negotio sibi commissio impleat Mandatum. Dominus autem Salviani non desideravit, ut Pecuniam à se datam iste elocaret ad Censum. Igitur, quæcumque fide Salvianus hanc elocaverit, Censum ex ea fluentes, suos fecit, adeò ut repèti

à Domino nequeant, utpote qui, cum Pecuniæ istæ eatenus jacuerint otiosæ, ad istum, tanquam Fructus Industriæ, pertinuerunt pleno Jure. Non decet autem Dominum locupletari ex marsupio Officialis sui. Aliud est, si Dominus huic suo Officiali imperasset, ut iste Pecuniam à se datam interea, dum tempus eas elargiendi veniret, elocaret pro Censu; tunc enim Jure suo hic vindicasset sibi hunc Censum.

Ad 2. Is, cui committitur Pecunia non obsignata ad custodiam, eo ipso ex tacita licentia ad eam utendum factus est ejus Dominus, postquam ei illa tradita fuit, & tum, ut *Num. 17.* sub finem dictum est, Depositum transit in Mutuum, & Depositario (quæ Mutui natura est) acquiritur Dominium depositæ apud ipsum Pecuniæ: siquæ mirum non est, quod etiam Fructibus ejus gaudeat, quippe cum res quævis fructuet Domino suo. Proinde hæc Regula potius cedit in Casu presenti in commodum, & utilitatem Salviani, & ad hunc pertinebunt Censum ex Pecuniâ elocata accepti, si verum est, quod pro Depositario illius haberi possit.

Ad 3. Ex eo, quod Salvianus Interest, seu Censum ratione elocatorum 3000. fl. acceptos, in primas suas Rationes retulerit, non sequitur, quod etiam Censum, quos deinde, & post Rationes illas redditas percepit, debuerit referre in Rationes suas ultimas; nam Salvianus Mandatum à suo Principali non habuit, ut eam Summam relinqueret elocatum pro Censibus, sed solum in hunc finem Pecuniæ istæ ipsi relictae sunt, ut inde tam pro sua sustentatione, quam pro aliis expensis, quod necessarium erat, acciperet: ut proinde in arbitrio illius fuerit, an has Pecunias reservare vellet otiosas, expendendas suo tempore in dictos usus, an verò relinquere ulterius elocatas. Hoc posterius autem si voluit facere, periculum etiam subire debuit, si Pecuniæ istæ perirent apud Nummularium; nam tum obligasset illum Dominus ad Damnum earum ex suo marsupio restituendum; ex hac unica, vel saltem præcipua causa, quod sine Domini sui jussu eas reliquisset diutius elocatas. Igitur juxta dicta *Num. 18.* Etiam comodum ex Censibus acceptis sentire debet. Potuisset autem Salvianus etiam primos Censum, quos Domino suo in acceptum retulit, retinere; quia industriam suam suos fecit. Unde, dum pro Domino suo illos acceptos habuit, vel ex errore, vel ex actu supererogatorio istud fecit, quorum neutrum in consequentiam trahi potest.

Ad 4. Negatur Paritas inter Censum acceptos ex Pecuniâ aliena, & inter Mercedem solutam ob commodatum torquem aureum alienum; nam Pensiones illæ, quæ percipiuntur ex Elocatione torquis aurei, dantur pro ejus usu inseparabili, sicut dan-

tur pro locata Domo, cujus Locationis Fructus Domino cedit,

ut habetur l. domum. §. C. de R. V.

ibi: Domum, quam ex Maris successione ad te pertinere, & ab adversa parte injuria occupatam esse ostendis, Praeses Provincia cum Pensionibus, quas percepit, aut percipere poterat, & omni causa damni dati restitui jubebit. Secus est in Pecunia negotiatione, cujus Lucrum non est Fructus Pecuniae, sed Industriae, cum non ob Pecuniam, neque ob illius usum concedatur. Excipit Sanchez.

lib. 2. Moral. c. 23. n. 133.

si quis Pecuniam alienam ad ostentationem, & pompam, aliumve secundarium finem, ut fieri potest, elocaret; tunc enim Pretium elocationis non ipsi elocanti, sed Domino illius competeret: ex ratione, quod eo casu non ob elocantis industriam, sed ob Pecuniae usum, atque adeo ob illius Fructum merces ista concederetur.

24. Ad §. In primis Textus in hoc Argumento allegati praecipue loquuntur de Fructibus percipiendis ex re, non vero de percipiendis occasione rei, leu merè Industrialibus; nam hos posteriores, ut ostensum est Num. 11. & seqq. cum suos eosdem faciat, in neutro Foro etiam male fidei Possessor restituere obligatur. Deinde etiam quoad Fructus ex re percipiendos DD.

& inter hos Medin. de Restitut. q. 6. ad 2. Sanchez. c. 23. cit. n. 118. Palao. tract. 31. D. un. p. 24. §. 10. n. 6. Haunold. tom. 1. de J. & J. tract. 3. n. 286. Wiestner ad tit. de Restit. spoliat. n. 61. & 62.

distingunt inter illos Fructus, quos Dominus rei percepturus verosimiliter erat, & inter illos, quos percipere potuisset, non autem percepturus fuisset. Priores male fidei Possessor restituere tenetur in Foro utroque; posteriores solum in Foro externo. Ratio differentiae inter Forum utrumque est; quia in Foro animae Obligatio restituendi oritur ex Justitia Commutativa, cui satisfactis, quando damnificatus habet omne id, quod habiturus fuisset ex re sua, si haec eidem non fuisset ablata. At Obligatio in Foro externo oritur ex Justitia Legali, quae in odium Spoliationis praeter reparationem damni, jure Naturae debitam, etiam injungit praestandum aliud quid in poenam delicti. Ergo &c. Proinde Spoliator, aut rei alienae male fidei Possessor alius ante Sententiam Judicis hujusmodi poenam praestare non tenetur. Idem est de Fructibus ex rei alienae melioratione, ab ipso facta, perceptis; nam Fructus isti utrobique sunt merè industriales, quos proinde quivis Possessor detrahere, aut si detrahi nequeant, aestimationem illorum petere, & vindicare sibi potest. Ratio est, quia tali Casu Dominus rei adhuc consequitur, quantum habiturus erat, si rei suae Possessionem non amisisset. Ex his facilis est Responsio ad id, quod

R. P. Schmalzgruber Conf. Tom. I.

QUÆRITUR II.

An non saltem Salvianus, post datas, & approbatas suas secundas Rationes restituere Principali suo debeat Censum, de 2075. Florenis, in Banco adhuc Relictis fluentes, donec ista Pecunia ad destinatum locum actualiter exiradatur?

DICENDUM enim, eum ad hos Censum Domino suo restituendos non obligari: quod probant dicta à Num. 11. Nam & isti sunt Fructus merè Industriales. Fructus autem merè Industriales cedunt Possessori, etiam male fidei, etiam furi, Usurario, Depositario &c. negotianti cum alienis Pecuniis. Igitur etiam Censum isti cedent Salviano, praesertim cum de Consensu Principalis ex hujus silentio praesumptio fieri possit, adeoque Salvianus credi queat, quod bona fide hos Censum sibi retinuerit.

Neque obest, quod de horum 2075. fl. elocatione pro Censu annuo nihil sciverit Salviani Dominus; nam ad effectum, ut ex elocatis Pecuniis alienis Censum annuos lucratur eandem elocans, non requiritur Consensus Domini, ad quem spectant elocatae Pecuniae, ut patet in fure elocante Pecunias furtivas, qui, non obstante, quod meritò praesumere possit, Dominum istarum Pecuniarum potius velle istas sibi restituui, quam à fure elocari in Censum, praesertim eo fine, ut Censum iste furi ipsimet cedat, nihilominus lucratur hos Censum, neque restituere eos Domino Pecuniae furtivae tenetur. Quare neque in praesenti Casu ignorantia Domini de Pecuniis elocatis impedimentum faciet Salviano, ne lucrifaciat Censum, pro quibus Pecuniam hanc elocavit.

Interim tamen notandum, ut hujusmodi Officialis, qui vel Custos est Aerarii Principis, aut Republicae, aut aliter sibi commissas pecunias Dominicales non obsignatas habet, licite illas, vel illarum partem elocare pro Censu annuo, istumque, tanquam Fructum Industrialem sibi vindicare possit, requiritur 1. Ut praesumi prudenter possit (cui tamen praesumptioni raro est locus) quod Dominus circa talem elocationem rationabiliter non sit invitus; forte enim ipsemet eas elocasset, vel elocari fecisset pro Censu annuo, oblata sibi commoda, & securitate occasione. 2. Ut hujusmodi Officialis in suis facultatibus habeat pecuniam semper promptam, quam dare Domino suo loco elocatarum ad Censum possit pro hujus necessitatibus, & desiderio; alias enim Dominus pateretur damnum, si, oblata sibi occasione, deficerent pecuniae, quibus commoda sua promoveat, vel necessitatibus satisfaciat. 3. Ut suscipiat etiam periculum pecuniae elocatae, & calu, quo ista apud Numularium

25. Deciditur Quaestio.

26.

27.

C c c

mularium

mularium pereat, non peritura apud Dominum, tantundem ex suo paratus sit solvere. Et hinc Officialis, pecunias alienas ad quaestum elocans, absque praesentio Domini, satisfacere tenetur pro omni damno, quod Dominum, occasione talis elocationis, sine praesentio ejusdem a se factae, pati contingit.

28.

In Casu praesentis Salvianus 1. Praesumere prudenter potest circa elocationem hujus suae pecuniae Dominum suum non fuisse invitum; nam & elocatione 3000. fl. a Salviano factam, ratam habuit. Neque obstat, quod Salvianus Censu, ex hac Summa perceptos, Domino suo in primis suis Rationibus in acceptum retulerit; quia ad hoc ille juxta dicta ad Quaestionem 1. non tenebatur: & si Dominus ejus voluisset etiam ex hac 2075. fl. Summa Censu accipere, id expressè petisset. 2. Salvianus paratus est suscipere, & re ipsa suscepit periculum Summae a se elocatae, quippe qui bene agnoscit sibi incumbere onus refarciendi damna, cum sentiat pecuniae elocatae commoda. 3. Ipsa pecunia elocata in loco Negotiationis, ubi expendi illa debet, semper est prompta, ita, ut quovis tempore haberi iterum possit: ut proinde nullum appareat periculum damni, quod vel Dominus pati posset, vel Salvianus ex suo marlupio reparare debeat; ut consequenter elocatio haec etiam licite facta esse censeri possit.

QUÆRITUR III.

An ratione Rhedarii, & Scribae, quorum opera non semper, ut concessum ipsi a Domino erat, usus est Salvianus, isse aliquid restituere teneatur?

29.
Deciditur
Quaestio.

RESPONDEO negativè, nam, quod mercedem in usum istorum, sibi a Domino concessam, destinam non expenderit Salvianus, peculiaris ejusdem industria, & parsimonia fuit; proinde, quod ille ex ea sibi retinuit, inter Fructus Parsimoniales referri debet. Potestque hic argumentum duci a Clerico, qui, licet id, quod ex Reditibus Beneficii sui congruae sustentationi suae superfluum est, teneatur erogare in pauperes, vel alias Causas pias, ab hoc tamen onere relevatur quoad ea, quae ipse parcius vivendo corrasit,

ut cum Covar. Navar. & aliis contra Abb. Zoef. & nonnullos advertit Azor p. 2. lib. 7. c. 9. §. 5.

Idem est de Operario, cui factum alium Operarium concessit Dominus ad labores illi injunctos perficiendos, & ei etiam pro hoc mercedem statuit; nam, si ille ita industrius fuit, & solus laborem aequè bene, & aequè citò, ac Dominus volebat, finit, sine conscientiae scrupulo iste tam suam, quam Socii, quem adfiscere potuit, mercedem retinet. Magis hoc verum est, si talis Operarius loco Socii Operarii assumat unum ex filiis, quem aliàs sustentare debet; nam tali casu Pater ratione filii, pro labore Dominicali assumpti, mercedem, Socio ejus aliàs debitam, petere a Domino Jure meritissimo posset.

Neque per hoc, quod Salvianus retinuerit sibi mercedis pro Rheda, & Scriba, in quantum illis non utebatur, residuum, ulli fecit injuriam: non Domino suo; nam iste Salviano pro usu Rhedae quotidianae, & Scribae opera, absque omni limitatione, mercedem, in singulos quidem Menses pro Rhedario, annuum verò pro Scriba, certam assignavit; neque praecipit, ut quotidie his uteretur ad perficienda ejus negotia: praesumptum proin potest, quod in arbitrio Salviani constituerit, an semper, & quotidie, an certis tantum diebus his uti velit, adhuc daturus mercedem conventam, si partem hujus sibi comparceret, sicut dedisset, si Rheda concessa diebus, quos a negotiis Dominicilibus vacuos habuit, vel pro honesta excursionis recreationis causa, vel pro visitatione amicorum suorum voluisset uti. Non etiam injuria per hoc facta est Rhedario; nam ita cum isto conventum est a Salviano, potuitque ille diebus vacuis alibi lucrum suum quarere: contentus proin esse debuit, si mercedem proportionatam tempori, quo illius opera usus est Salvianus, rite accepit. Non denique conquiri potest Scriba, quod loco ejus Salvianus usus fuerit plerumque alicujus Agnati, vel famuli sui opera; nam plus petere non potest Scriba, quam quantum laboravit. Adde, quod Dominus Salviani aucturus non fuisset Salarium pro Scriba, etiam si labor scribendi duplo, vel triplo hoc Salarium fuisset major; tum enim sumptibus suis idem Salvianus debuisset contentum reddere Scribam. Igitur gaudete etiam debet residuo, quod ille non utendo semper Scribae opera sibi comparuit, modo aequè bene, & aequè celeriter profecerit Domini sui negotia.

* * *



CON-